Ad
Pios Manes
GEORGI BOREAE
NOB. LVGEN. I. CL.

Pij
AMICORVM PERVSIÆ
Adfectus.

Felix Verducciolus
COLLYGEBAT.

PERVSIAE Typis Angeli Bartoli.
Superiorum Permissu. *MDCXXXVII.*

Tacit. in Agr.

Professione PIETATIS, aut laudatus erit, aut excusatus.

Eminentissimo Principi

COSMO
CARDINALI
De
TORRES

Felix Verducciolus F. P.

INCLYTÆ famæ Alumnum, à Tua reducem Aula, Cardinalis Amplissime, vix visum, in ipsa honorum maturitate, magnæ spei, & votis omnium inexpectatò præreptum, luxere Augusta lycæa, fleuere nobiles Musæ. neque sanè aliàs meminimus priuatum funus, deducentium pietate, dolentium affectu, magis celebre. Ego quidem subitoq; luctu verba

 & la-

& lacrymas mixtim fudi ; gemi-natis malis doctus loquentiam extemporaneam. Si quid tamen placuit, lacrymarum ſcio fuiſſe ; vidique cum ſolatio aliquo cali-gantibus circū oculis fletus meos immixtos Procerum fletibus. Sed verba ecce habes: lacrymas mit-tere in Typos non potui. *Elo-gium* verò auſus ſum dicere, quia purum ex fide teſtimonium re-pendit Virtuti. reuera nihil eſt, niſi *funebre*: tantùm miſera eiula-tio, atroces querelæ, infelices gemitus. Orationem in illo caſu nō magis imperare mihi liberum fuit, quàm prohibere. Dolor magiſter facundus dictauit ; me-ditandi penſitandique cura, vel vnius anguſtia noctis, excluſa, aut funeris acerbitate, diſtracta. Vitæ ſuprema, viæ morbique cauſſas, initia, progreſſus, triſtemque

exitum

exitum vtcumque executus, iustissima certè comploratione *Pijs Manibus* parentaui. Cæterùm qui planctus dedere, parant lætioribus olim argumentis etiam plausus. Tu mœsto interim vultu, animoque, lugubria isthæc spero admittes, magne Princeps; Tibique maximè consecratam voles probati amatique Iuuenis memoriam; vt suarum honorifica commemoratione Virtutum immortalis viuat in immortalitate nominis Tui. Longùm sospes Vale, Purpurate Heros COSME; verè τοῦ Κόσμου Κόσμος Κόσμος.

Ex Augusta Perusia. Idibus Iunij, MDCXXXVII.

Georgio Boreæ

FVNEBRE

ELOGIVM

Extemporali doloris impetu

Parentalibus officijs

EFFLETVM

Perusiæ

In Sepulchrali Æde

D. VIRGINIS CONCEPTAE

Congregationis Oratorij

Ipso mortuali die

Prid. Non. Iun.

CIↃ. IↃCXXXVII.

FELIX VERDVCCIOLVS

Cum Lacrymis

FVNDEBAM.



H quale tibi, Perusia, inopinanti spectaculum exhibetur! Ego vestra, Nobiles, adeuntium officia, prætensa quiete, inhumanus arcebam; ego salutatores amicos adspectu votiuo inhibui crudelis; vt amoto tandem sipario hæc subitò panderetur Scena Tragicæ immanitatis. Nosce heu! nosce, si potes, & quære in illa decora corporis proceritate, in illa formositate vultus, extinctum decus. Iam silet os illud aureum, quod casta Venus, & Suada melior insederant. Geminos illos viuido dudum splendore vibrantes, flammaque animatos puriore, oculorum soles præfestinata nox tenet, ego clausi. Frons illa sedes nuper maiestatis, pectusque hospitium nobile Sapientiæ, tepent adhuc meis osculis, madent lacrymis. Adeò vnus prę cęteris miser inter amorem doloremque non semel erudiui oculos flere.

Doctorem anno Auditor, & Collegam Collega defleui: nunc ferale munus semper infelicis eloquij ad Auditorem, & Contubernalem traducendum est. Ita continuatis cladibus funestamur, neque saltem annales induciæ sunt, aut vulnera cicatricem obducunt, noua quotidie crudelitate rescissa. Lilietum mihi dumetum fuit, LILIO in spinas degenerante: BOREAS factus est Auster, quique serenitatem inducere solebat, subitum lacrymarum imbrem inuexit. Ita laus iterum cedet in-

 lessum,

leſſum, elogia ibunt in lamenta; ſola mœſtum perſonabit diſſona numeris cōploratio. Queſtus tantùm ſingultuſque dabo, nihilque profuturo proſequar planctu miſerabilem omnibus caſum, nulli funeſtiorem, quàm mihi; vnde exordiar, quouè deſinam, quid eloquar, quid querar, æquè negligens, ac neſciens. aut verò quis fletum ſuum ordinat? quis verba poteſt in luctu componere? & viderint, qui dolorem meum non tam velint auribus æſtimare, quàm oculis.

31 HOS ergò tibi Amores ſuos, Auguſta Parens, tuus olim Epiſcopus & Pater *Eminentiſſimus TORRES* ex intima familiaritate delegat. Hunc tibi *Illuſtriſſimus IVLIVS CÆSAR BOREA* maiorem natu è *Ludouici* quondam Fratris germani liberis Nepotem, tuæ Alumnum Academiæ, ab vſque Siciliæ regno commendatum remittit. Exaggerata laboribus Virtus maturum literatę decus frondis expoſcit. Ipſa, iam præſenſi, Collegia, certantibus in vnum ſtudijs, nouo planè ritu, videntur ambientem ambire, prehenſantque vltro Candidatum, adeòque trahunt, & properant occupare. Quidnì emeritum caput cingant laureæ multiplices? Veſtræ ſunto licet, Iure-Conſulti, potiores; vt laudatum ante annos Prolytam, fauorabili reducem plauſu, quæſitis donatum honoribus, auctumque inſigni coronamento dimittatis: haud ipſi tamen prætëribimur indecores, Philoſophi, ſiue Theologi; volet q; ſcio, rerum potitus, honorarios etiam hinc titulos legitimo iure ſuos benè

doctus

doctus agnoscere. GEORGIVS BOREA, carum rarumque nomen! hic est: ille, qui duodecennis puer Perusiam traductus, decennio toto spectatus probatusque, moribus atque ingenio placuit; quique & amorem & plausum & admirationem quàm semper elicuit facilè, tam perpetuò habuit feliciter. Festinate serta; radiate tempora. Hei mihi! heu! quaenam subitò manus adeò pestifera, nihil tale metuentibus, subrogat Lauro Cupressum? ò rerum ludibria! Ego Odulas paraueram, prouocatis festiuum ad carmen Camoenis. tu illas, nescio vnde labente insolitum lingua, falso nomine verè ominosus, Elegias nolens appellasti. nempe haud te alius manebat exitus, quàm qui flebilem cantum moestis Musis edictaret. Venisti, non vt desiderato longùm visu, triennali penè enectos absentia, demum aliquando beares cupidissimos tui; sed vt repentino praereptus fato, miseros aeterno conficeres luctu, venisti.

Et ò captum, Auditores, inauspicatò veniendi consilium! quamquam ego quidem haud captarim vana stultus auguria. monitus certè Coeli aliquot video diuinitùs pridem immissos, nunc tandem serò intellectos. Quid? Subiti serpentium illapsus viam obliquantium, itineris olim diu destinati nimis lenta procrastinatio, dissuadentes Aulicorum voces, ipsius etiam *Principis* moeror, Patrui lacrymae intemperantiùs effusae poterant absterrere, nisi potentior vis ex alto traxisset.

Igitur assumptis è famulitio comitibus duo-

bus, inſcenſa Naui cum quadriremium Siculorum Claſſe poſtrid. Kal. Maias ſoluit è Panormitano portu. Vehebat illa Neapolim *Comitiſſam de Mont-Alto*. Altus quippe mons eſt, qui caput nubibus inferens, terras Cœlo continuat, arduæque vincendæ ſemitæ illud nomen ſatis mihi claro erat oſtento. Deduxit inter oſcula ac fletus ad mare Nepotem Patruus, heu! non videndus vltra, non viſurus: illic vrgens Nauta diſſoluit amplexus, mutuæque charitatis officia monitor intempeſtiuus abrumpit: inſtare tempus, fauere auras, nec Nauem benè vnum morari.

Dictum Vale vtrinque affectibus magis, quàm verbis, dictoque citiùs, euerberato remis pelago, euolante l gyro, vaneſcente viſu prouectis

——Terraque Vrbeſque recedunt.

Sequitur ille quàm longiſſimè poteſt oculis, animoque à ſe exule comitatur. hic littora reſpicit, neque ſe tam abire ſentit inuitum, quàm volentem redire; extorre corpore, obſide corde. Interim Claſſis altum tenet: cum effuſæ ſubito procellæ impetu, ventiſque obluctantibus, quantum bidui nauigatione erant emenſi, ſex horarum ſpatio remetiuntur, quam reliquerant ſtationem, coacti repetere.

O infauſtum incœptum extimeſce, nec te ſæuis vndis iterato auſu committe, mi BOREA! Atquì pertinax Fortuna eſt, aut veriùs à Deo ſunt iſta. Ita retentato improſpero curſu, exſcenſuque Neapoli facto, paucorum dierum quiete ſumpta, conducto inde naui-

gio; legit Campaniæ Latijque fertilem oram, & Tyberino Ostio sospes inuectus, ipso Dominici Ascensus die Romam paullò ante meridiem ingreditur. Amici conati moram injcere, ac diutiùs detinere, nec ipse GASPAR Marchio de TORRES, hospitio exceptum, auctoritate vel comitate sua potuit. Videlicet properandum erat, ad Superos anhelanti.

Nam quæ illa præsagientis linguæ diuinatio; vt, vnde primùm mœnia procul, Augustam, Turresque Cœlo gratissimas videre potuit, exhilarante prospectu, gratulabundus crebrò iactaret, eam sibi animo lætitiarum dulcedinem præcipere medullitùs visum, qualem sentire Animas crederet, è Purgatorio Igne Paradisum voluptatis immigrantes? O vocem non magis beneuolentiæ erga nos testem, quàm salutis indicem tuæ! Properasti, vt nobile spolium Animæ relinqueres apud nos; bono præfatus omine Cœlestia, vt mortalis adhuc immortalia non tam loqui videreris, quàm, anticipata quodammodo felicitate, inciperes frui. Properasti, vt ab auspicato simul ingressu faustum itineri lumen præluceret, nè quod ipsi genus solatij in tanta luctus acerbitate desideraremus.

Sacer ibat D. PHILIPPO NERIO dies, cum, ipso crediderim deducente, in quem præcipuo semper affectu iam tum inde à puero ardentissimè flagrauerat, se mihi, nocte ineunte, obtulit in amplexum. O amores nimiùm breues, & amaros! Cœna modica, familiaris, & qualem fortasse *Augustus* aliquis acriori de-

 risam

risam ioco traduxisset. Manè, cum toga sumitur, & palliūm; nescio quis improuisò rigor, nescio quis ardor febriculæ incessit; cuius tamen, vt mihi dicebat, initium aliquod leue senserat, Roma digrediens. quamobrem lecto redditur, adeòque Vrbem non vidit, adeò pedem domo non extulit, vt heu! vel ab ipsis Cubiculi angustijs, quo noctem acquieuerat, lienis manibus fuerit efferendus.

O Ars quid vales! Peruigilio toto *Pentecostes* valebamus: febris aberat, redditusque vini vsus, metu discusso, securam propè hilaritatem reddiderat. At non idem Sol iterum nobis illuxit. Nox inquies, & insomnijs exercita. excitatus ter atque ampliùs in proximo cubans famulus, me quoque excitat. Seminudus semisomnis accurro, longèque alium ab eo, quem reliqueram, reperio.

Somnia nescio quæ consulè narrabat; si ea modò fuere, aut non potiùs prænuncia Diuinæ mentis ostenta. Sub ipsum matutinæ lucis exortum, clariore perfusum luce, Diuorum cœtus, eosque inter lepidissimum Senecionem suum (ità blandè vocitabat) PHILIPPVM NERIVM vidisse: conuasandum proinde sibi, ac propediem veluti palam indicta migratione abeundum. O somnia non somnia! quæ iam verus euentus aduolasse *Porta* negat *Eburna*.

Accirem ergo Medicos, quanquam frustra conaturos: ante omnia Religiosos inducerem Viros, quibus vnicè & vellet & posset iuuari. Paretur. Erat quidem solito violentior paroxismus, haud tamen res visa nobis ad despe-

rationem

rationem ire tam citò. Ille in vnam propinqui discessus cogitationem altè defixus, nullâ arte potuit induci, nè actum de se crederet, nè circumstantes alacer ad vltima prouocaret officia, abstergens, quas ipse ciebat, lacrymas, vt remansuris solatia relinqueret abiens, quique facturus erat vulnus, idem vulneri faceret medicinam.

Ergo proiectâ corporis cura, Animæ tantùm curandæ studens impensè, expiatur Iuuenis innocentissimus ijs maculis, quales Aqua lustralis potuisset abluere. Tum *Sacrum Viaticum*, & *extremam Vnctionem* flagitatione nimia cœpit vrgere. quorum altero statim accepto, veluti pluuijs è Cœlo flammis intimè percitus, alienari paullatim, & à se abire. Diceres, ea diei celebritate, ipsum quoque Diuino Spiritu esse perflatum. Interualla fuere mali modica, & semel iterumque redire mens visa, inter spem metumque suspensos eò vsque nos habuit, donec improuiso veluti iaculo altè confossos, tuo pendentes ore tecum cadente sæuiens dolor penitùs exanimaret: mi BOREA!

Sed modò libros raptim vndique euoluentis gestus, modò intentos ad scribendum motus adspectare ingratis oculis miseri cogebamur. Iam caussas fingere, inferre iudicia, Patronum alternis Iudicemque induere, vexare tutarique reos, ac tanquam ludicris velitationibus veræ gloriæ proludere. ita & Mathesim omnem veluti per ludum excurrere, Naturæ Cœlique arcana, & quicquid supra est, penetrare, totamque

totamque Regiam pandere Diuinitatis, siue tu ea Hispana volubilitate, vel Hetrusca suauitate, rotunditate Græca, Latina maiestate profunderes; qualem Lycæis ac Templis, igne fulminantem innoxio, attoniti sæpe spectauimus: vtque se olim capacissimo augusti pectoris penetrali tota condiderat, ita maximè facundo tùm ore princeps Eloquentia, triumphatrix animorum, erumpebat. vt non iam lectus ille funereus decumbentis videretur, verùm magistralis Exedra docentis aut declamantis. hæc erant animi linquentis indicia, hæc linguæ temerè effutientis eloquia, hæc tua delitia, mi GEORGI! adeò etiam inter ipsa deliria sapiebas.

At nobis heu! quantum ab infausta luce atræ noctis offusum! quot illata cordi vulnera lethalia! dum tibi serò iuuando quæ non remedia tentata? quæ non etiam, verè dixerim, Artis nugamenta aut ludibria? Dissectos dorso medio geminos candore niueo Columbos, Medicorum iussu, extrema conantium, fumantibus adhuc extis, vtrique morientis plantæ subligauimus. Quid? vt illi dicebant, ad fouendum excitandumuè calorem deficientem. Ego tamen aliter mecum tacitus interpretabar. Decere iturum ad Superos, subnexis instructum alis euolare. quamquam volucri pennarum præsidio non indigebat Mens, in Deum celeri Amoris impetu semper euecta. aut verò animi candor colore pari notabatur: nisi fortasse par erat, castissimi Iuuenis pedibus subijci Veneris aues, ad illustre exuuium

trium-

triumphatæ feliciter Veneris in iuuenta. Et miremur, conatu irrito humana procedere, quæ Tribunicio quodam insultu placitis superi Senatus Consultis interceslura, contumaci amoris obtentu, ipsi propemodum Diuinitati obluctari videbantur? Infelicibus enimuerò euentibus, subsidio omni mortali consilioque destitutis, quæ non suscepta intimè vota, quæ non lacrymæ palam effusæ, quæ non adita religiosè Templorum Adyta, quæ cultoribus vacuæ Aræ, quibus non adorantium precum machinis admota vis Cœlo? Frustra. tu Cœlo maturueras meritis, si non annis: ac iampridem inexpectata temporis maturitate, spectati roboris Veterano debebantur, emeritę suffragio Virtutis, decora ista, quibus nunc frueris, pompę triumphalis. cuius fallor? an hæc vndique circumfusa funeri Nobilitas, quamuis in dissimili vultu, affectuq; dispari, omen est, & imago?

Videtis, vnde animo æger lenimenta conquiram, Auditores; sic, vt etiam renarrare vobis audeam simpliciter, quod mihi planè diuinitùs contigit pridiana ante obitum nocte; neque erubescam fateri vim amoris, & doloris ingenium mei. Desperatis rebus, libuit Oraculum consulere, ad leuamen aliquod mentis afflictæ. Sed non tamen aut ego Apollinem adiui, aut libros inspexi Sibyllinos. Vitam D. PHILIPPI NERII temerè aperio, pressamque illato temerè digito hanc sortem lego: *Piè Spiritum reddidit Deo*. O gaudia! quæ me vetant queri, & iubent quiescere; grauiter alioqui expostulaturum, si Religio pateretur, iniuriam.

iniuriam. neque enim fortasse decuit, si pari cum humanis æstimatione liceret Diuina censere, ab eo maximè decipi, cui maximè vni fidebamus. Te vnum, *Bone Senex*, æthereæ primatem Aulæ apud Numen Interpretem, te Patronum Cœlo gratiosum, terræ beneficum adsciuerat Amicorum pietas, ancipiti carissimi capitis periclitatione solicita. tibi traditi libelli supplices, tibi nostri gemitus, tibi suspiria, omni facundiora eloquio, ad vnius reducem expirantis incolumitatem spiritus obstrepebant. Tu surda aure, conniuente oculo, inexoratus & durus, non nostram egisti caussam, sed illius & tuam; raptumque feliciter Alumnum asseris tibi. qui profectò, non tam illum tuæ Rosæ odorem, quem vitali flatu BOREA, suo nixus ingenio, puer olim eleganti orationis textu pertulerat; quàm vitæ morumque hauseras, eodem te inspirante, suauitatem, patrio syderum Rosario, quàm telluris hospitæ senticeto, digniorem.

Tu verò iam illic benè spiras felix Aura, quò adspiraueras semper. Non te tamen vnus ille rerum tuarum sospitator præcipuus inuidendo prouexit raptu PHILIPPVS; IV-Viros vnà secum nupera inauguratione donatos Aris Beatissimos Diuos adhibere visus, ISIDORVM, IGNATIVM, XAVERIVM, TERESIAM; nè perpetuò culti, extremùm laboranti Clientulo defuisse dicerentur. & adfuerunt quidem è Societate Iesu, è Discalceatorum Familia, è Congregatione Oratorij Patres in ædibus Isidorianis. potuitq; Hispanus Hispano substitui,

nec

nec alienum fuit, pro Madritensi Agricola Hispalensem Episcopum præstò esse tibi, si viueres, haud dubio gradu, festinatis honorum insignibus, ad Infulas properanti.

O iam mihi Astrorum fidè clarè mendacem! Natalis hora, XII. sæculi annum aperiente, commodùm Iano, postrid. Kal. XIX. præuio Fortunę radio adfulserat læta. Verticalis Cynthia, coniugio foecunda Fratris, stipante nobilium satellitio stellarum, vbi primùm benigniore Planetæ principis adspectu Virginea flauesceret spica, & fauens longùm æther, & propitia vbique lumina nescio quam pollicen clariore præsagio videbantur dignitatum messem vberrimam. Quis non prouisus Draco ferali cauda crescentem maturè segetem strauit? quæ nullibi detecta Saturni malignitas alieno tempore immisit inuidam falcem? A: quorsum laudem syderibus calumniamuè demens adfingo? tanquam aut non ego doctus illa ipsa rerum incrementa legere multò euidentiùs in illustri Virtutum tuarum Cœlo; aut quasi Astris quidquam liceret in te, quibus dominari olim suetus, superstite nunc spiritu feliciùs insistis. Sordebant Tibi, opinor, nostra Laureta, neque tellus habebat meritis Tuis par decus.

Ità *Sacro* inunctum *Oleo* nobilem Palæstritam, supremo agone feliciſsimè colluctantem, Imperatori Cœlesti tradidimus coronandum. Iuisti, victor Athleta, ad palmam; iuisti: illud tamen inter cætera solatium mihi visus obijcere; aduectam heri tandem Bononia,

nia, elaboratam *Rhenij* penicillo *ASSVMPTÆ in Cœlum VIRGINIS* Tabulam, minimè obſcurum tuæ cum *Virgine* abeuntis Animæ ſymbolum, iucundiſſimè contemplanti. etſi verò nullis indiget huiuſcemodi blandimentis tuæ conſcium vitæ, mortiſque pectus; qui te viuentem habui ſemper intimè exploratum, morientem lecto aſſidens vidi. Heu! vidi.

Sic ad ingenium redit dolor, efferus intumeſcit; diraque luctus inſania neſcius tolerandi, grande vulnus exulcero. Nam quoties ego conatus retrahere ſpiritum fugitiuum, aut impreſſo oſculo meum infundere? clamabam ſæpe inter amplexus, interrupta ſingultibus voce: mi GEORGI, quid agis? tu renidenti oculo abnuens, hilari verborum ſonitu, eum te eſſe negabas, & GEORGIVM nobis alibi quærendum ſublatis manibus oſtentans, meliore tui parte Cœlum tenente, veluti alius loquebare. Fuerit ea ſanè vis animi delirantis: at quid me, nunquam non agnitum ſtatim rectè poteras, ceruici innexus, pectuſque prenſans, inter mutua oſcula & meas lacrymas, nominatim ſemper ſalutare? *Felix ò ades, mi Felix nè abi.* O delirium hìc verò nimis immane! qui, immutato rerum mearum ſtatu, non intelligebas, nomina ſimul eſſe mutanda. Felix haud dubiè eram te ſoſpite. Infelix! iam luo meritas iactãtiæ meę pœnas, qui te meum eſſe nimis ſæpe, nimis ſuperbè gloriabar. Saltem præcedere Magiſter Auditorem debueram; neque omnis interiſſem, ſi te mihi Superi ſuperſtitem voluiſſent. Naturę leges altioris

tioris Conſilij ratio præuertit. Tu moreris, ego viuo. O meum decus! Viuo! nec tecum vnà obeo obeunte? Sequar tamen breui, ſequar; & iam pridem eſt, cum fatalem mihi auguror hunc annum: præpoſtera quamuis, & aduerſa opinioni meæ ſorte. Lethum felix inter læta expectabam, præſumptaque expectatiſſimi reditus voluptate, immaturè geſtiebam adeò, vt me iurarem gaudio moriturum. I ſtude nunc miſer, inani lætitiarum vſura, illo ipſo, quo Vrbem intraturus erat, die, pictoremoris omen hilaritatis induere, & capillum pone, & nouacula genas mentumque poli: ignarus, veteri Gentium ſuperſtitione, haud vane funebrem tibi eam fore tonſuram. I rhedam iungi protinus iube faſtoſus, venienti occurſurus. rheda feretrum fuit. O dolor! ſi quid facis fac citò; vt acerbo funeri victima cadam ſuccidanea. quid non contentus ſimplici fato, per cruciamenta diſtorques? eſto genus clementiæ, infelicem vno ictu necaſſe. Sed tu crudeliter nimiùm ſæuis, volentemque animam, video, per tormenta tandem elides. Tum denique ab inuiſo liber ergaſtulo quęram amicos Manes, neque fortaſſe hoſpitium ſeiunget, quos iunxit Amor. Interim ad exangue corpus, tanquam ſatiari frigidis adhuc queam amplexibus, amens recurro; Te, opinor, indignante, mi GEORGI! qui cœtu exceptus tripudiantium Cœlitum, mortales fletus in immortalitate doloris eiulatus audire non vacas, aut faſtidis. O parce! ego lacrymis diffluo, auras queſtibus impleo. Tu iam inter

vera

vera gaudia sine me viuis, & plaudis sine me: Istic ergo felix mihi salue meum Sydus, istic mea Cynosura salue. Vale, Vale æternùm mi Auditor! mi Alumne! mi Anime! mi GEORGI! mi BOREA!

VIXI

D. O. M.

GEORGIVS BOREA

NOB. LVGEN.

Cumulatis Naturæ Animique dotibus ad vnius ingenij cultum vsus, alta indole Virtuti subacta, ancillante Pietati Doctrina: candore vitæ, ingenita morum suauitate, Modestia comis illecebra, amorem cum veneratione, sine fastu decus, immunem liuoris Gloriam nactus: meritorum plenus, honorū [illegible], frutticante è Lauru Cupressu, acerbo funere elatus, planctum dedit Perusiæ, cuius olim præcoce laude habuerat plausum.

INCLYTI ALVMNI
MEM.
FELIX VERDVCCIOLVS
HON. TVM.

M. P.

Vix. Ann. XXV. Mens. V. D. L.
Ob. III. Non. Iun. MDCXXXVII.

In Obitu

GEORGI BOREÆ:

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

I. CÆSAREM BOREAM

Patruum.

DVm decet extinctum, CÆSAR, lacrymare Nepotem,
Carmina, quæ ſaxunt funera, ſume libens.
Exigua ingentis luctus ſolatia. quidnam
Præualet aduerſus ſpicula Mortis homo?
Nudus homo, eneruus, languens, imbellis, inermis;
Effugiendi illam, cui datur vna ſalus?
Felix, ſi tibi ſorte datum effugiſſe, GEORGI,
Iratæ laqueos! occidis! heu doleo!
Sed non tute miſer: moriens mutaris in æuum
Æternum, cui par non volat vlla dies.
Vlla dies conceſſa homini, qui viuat in Orbe
Hoc fluxo; et ſi annos ſupputo Neſtoreos.
Non te longum æuum miſera hac in Valle decebat
Degere, qui Cœli ſcamna aditurus eras.
Vita inſons, lecti mores, benè conſcia recti
Mens, tibi ſcala fuit: Vota fuere gradus.
O te felicem! primo qui flore iuuentæ
Mira facis, Mundi mundus ab illecebris.
Viuendi ratio (iam dum cognoſcis abundè)
Atque animi dotes quot peperere bona!

Aurea

Aurea ſerta tibi ſancto cœlata ſigillo
Tempus vtrumque ornant; gloria, honoris opus.
Hæc, ſimul vt tener s[illegible] ſti ſydera plantis,
Poſtibus ipſis obtulit ipſe Deus:
Quem coluiſti vnum, carnis dum mole grauatus;
Quà appoſita, cum illo viuere condecuit.
Ergo petire bonis, inter reliquoſque beatos,
Dum Deus æternat gaudia, cœlicolas.
At ſi nos culpis cumulatos inde videbis;
Diuinæ Triadi funde memento, preces.
Quàm placiturus honos ſummo, te orãte, Tonanti!
Quàmque erit in tuto noſtra repoſita ſalus!

Angelus Abbas Periglius.

Ad Eundem.

CÆSARIS, ò CÆSAR, *fortuna dignus* IVLI,
Si Sors Virtutis concomitetur iter:
Quo cecidit fato ad Peruſina GEORGIVS *arua*
Iccinè triſtaris, multus & vſque doles?
Erige te: Superos inter non ſuſpicis illum,
Non Paradiſiacis cernis ineſſe choris?
Hoc totus probat, hoc vno Mons perſonat ore,
Hoc calamo AVGVSTVS *tollit ad aſtra ſuo.*
Et gelidus (mirum!) BOREAS *velut Orithya*
Exardet, raptam confouet atque ſinu;
Sic BOREAM *caluiſſe tuum hoc in frigore, dicam*
Fortiter & Venerem corripuiſſe puta.

D. Secundus Abbas Lancellottus.

BOREA quàm Boreæ similis! cùm surgit & iste,
Alto laborat flamine.
Palladis omnigenæ Iuuenis sudauit in arte;
Sic alma Virtus quæritur.
BOREA quàm Boreę similis! cum cessat & iste,
Grato quiescit sibilo.
Hora quieta magis Iuueni fuit vltima; pacem
In morte Iustus inuenit.

Diomedes Montesperellus.

PRæceps heu nimiùm, nimiùm inconsulta Cu-
pressus
Te cinxit BOREA, Iuuenis dignissime Lauro.
At pro Phœbea Lauru non ipse Cupressum
Respuis; & Phœbus plantam quoque diligit istam.

Idem.

DVm redit Augustos BOREAS capturus honores,
Et regerit grato munera adaucta sinu;
Mille suas iterum in laudes, mille ora resoluit,
Quaque illi aptatur Laurus, vbique sonat.
Inuidit Mors sæua tamen, Laureque Cupressum
Inseruit, palmas abripuitque nouas.
Nec rapuit magnos, quantùmuis vertit, honores,
Pro plausu lacrymas nos sine fine damus.
Nè querere, integris quàmuis citò raptus ab annis,
Non poteras fato nobiliore mori.

Hieronymus Barnabæus.

Indyta

INclyta qui BOREÆ lustrare poemata gaudet,
Crediderit docti grande Maronis opus.
Libera qui videat torquentem fulmina lingua,
Altius haud, dicet, Tullius ipse tonat.
Nec tamen hae Iuuenis magna pars vltima famæ,
Ciuica dum grauior, Sacraque iura colit.
Trinacris hunc grata gens ebibit aure loquentem,
Olli compositis ignibus Ætna silet.
Augustas postquam repetit latissimus oras,
Pragestitque altum laurus obire caput;
Emeritos Superis & Christo reddidit annos,
Proque foro, Cœli gemmea Regna teret.

Idem.

ECce iaces, BOREA quondã memorabile nomẽ
Turrenisque scholis, Pierioque choro.
Ossa licet maneant patrijs priuata sepulchris,
Longa tamen meritis fama superstes erit.

Iulius Laurentius I. C.

QVò Patruus te mittit Eryx? quò cærula raptũ
Purpureo referunt Te Lilybæa sinu?
Monstriferis nè fide vadis; vetet Auster euntem;
Terreat & tumidis sæuior ira fretis.
At tenet Augustos Lauri spes incita colles,
Et mortis liquidum tuta flagellat iter.
Naufragus in Portu es. Tellus quos speret amor est
Impunè iratis redditur æquor aquis.
Haud Tibi laus perijt, vel habet sua præmia Virtus;
Altior illustri funere crescit Honos.

Carolus Baleonus.

V. Cl.
I. CÆSARI BOREÆ

Basilius Corradinus
S. P. D.

O Coecos rerum nexus inenodabiles! ò ineluctabiles humani labyrinthi ambages! ò lubrica peregrinæ mortalitatis itinera! quorum semper finis, funus. GEORGIVS, tuus ille, *Illustrissime BOREA*, Ocellus; *Eminentissimi COSMI* Delicium; Musarum Alumnus; Gratiarum Corculum; Titus Augustæ Nobilitatis; iamdudum hic triumphali Iuris laurea, ingenij, Virtutisque maturitate donandus, vbi nos longo sui desiderio torsit; istinc tandem inauspicatò auullus, Perusiam, occulta sideritis huius vi tractus, vestris adhuc lacrymis irroratus, venerit nè, an venisse visus, subito etiam num fulminis ictu attonitis, ac penè somniantibus, incertum. Sed venit, heù! venit: at verè BOREA, verè Ventus: nouus veteribus hospitibus hospes (ò spes!) minimùm fruendus; æternùm Lugensis (ominosam originem!) lugendus: inter prima oscula, vix collata hospitali tessera, raptus; nè Vrbe quidem tamdiu sitita, assiduèque in oculis lata, semel supremis oculis vsurpata. Cerno, heù! cerno, te, ludibriosi pertæsum cognominis, atra curarum tempestate obuolutum, Austrum factum, amaros per genas

B imbres

imbres perpluere, laxatisque saucio Amori habenis indulgere. Quì potes aliter, Patruus, & GEORGII Patruus? Iam enim expertus, CÆSAR, in robusta GEORGII adolescentia, nulli cessura negotiorum moli fundamenta, & quidquid imponere, quidquid inædificare velles, latura, in partem curarum adsumere, exploratisque humeris totus, tutusque incumbere, & in altam adultæ, virilisque Virtutis indolem alta negotiorum onera cœperas inclinare. Verùm (ò verum verbum!) citò nata, citò euanescunt: & præcoces illi fructus, festinata illa ingenij, prudentiæque maturitas; præsumpta illa in pueritia senectus, ah, celerem hanc mihi carissimi capitis abitionem, hanc mihi maturam ad Superos fugam, fucatæ huius liberalitatis gnaro, iteratisque iacturis edocto, portenderunt. Abeat à me, exultetque in posterum ab amaro hoc ore omnis ioci, risusque iucunditas, nì in cladem hanc tragicam altè defixo, lacrymæ nunc scribenti vberiores cadunt, quàm quas in ipso minimè læto lethi pseudo-triumpho effudi; cum cupressatum vidi Apollinem, atratas Musas, collectamque triumphali pompæ Perusinam, externamque nobilitatem in funus prodire, triumphaturumque ipsissima illa infausta hora lectissimum in feretrali lecto compositum Condiscipulum, honoris, amorisque caussa ad Philippinos Patres, ipso penè Philippicæ solemnitatis die, flexo in mœstitudinem, & miserationem vultu, mutata rerum scena, comitari. At vbi, primo doloris impetu effuso, tu quo-
que

què rem imperatoria ista, CÆSAR, animi magnitudine cœperis æstimare, intelliges facilè, Haud hæc sine numine Diuum euenire, rapidumque GEORGII fatum ad Fatorum arbitrum Deum, Philippumque referes sanctum raptorem. Vrget nimirum auidus teneri prædæ vetus venator pristinum incœptum; acerbæque imminens inhiansque ætati, lapsantes inhibet, inhibitos firmat, firmatos format, formatos Cœlo asserit. Certè GEORGIO, strenuè extrema iam arena luctanti, præsens, ac palam, nihil iam mortale caliganti, visus, agonisque spectatoribus Patronus indice commonstratus, præsto fuit. Non hæc tibi, Philippine CÆSAR, fiducia mœrorem leuat? hoc GEORGIANÆ innocentiæ specimen lacrymas non abstergit? Vide amabo, nè receptum Cœlesti Capitolio GEORGIVM immoderatiùs flere, non amoris magis indicium, quàm Philippi iniuria, æternæque illius, fulminisque immunis Laureę inuidia videri possit. Ego quidem *Felix*que plus vna hora à moriente Discipulo didicimus, quàm ille omni vita à viuis Magistris capaci potuit, rapacique ingenio discere: Piè in Dei Philippique sinu mori, hoc demum esse non de mortalitate modò, sed de ipsa gloriosè Morte triumphare. Vale cum magno COSMO; vosque incolumes τῷ Κόσμῳ incolumitati seruate. *Perusiæ.*

LVctificis Arethusa vadis, Erycinaque plorant
Litora, Lugensi plorat & amne Padus.
Augusti uberius deflent Tua funera Ciues,
Quorum Te memori pectore condit Amor.
Hic tumuli Te signat honos, hic gloria tollit,
Cum cineres habeant viua Sepulchra Tuos.

Franciscus Corromanus.

FRigida Phidiaco tumulentur mēbra sepulchro,
Atque inscripta gerat carmina Fronte lapis.
Hic iacet immiti præreptus funere; qui dum
Præmia laudis adit, munera mortis obit.

Idem.

Felici

Felici Verducciolo

Octauius Lancellottus S.

QVæris ornamenta tuo Epicedio, mi *Verducciole*, quo tamen nihil ornatius, suffragio omnium, quibus lacrymas ciuerunt lacrymæ tuæ, exprimente vel saxeis ferreisque ingenijs iam prædicata apud nos tuæ in dicendo copiæ elegantia. In laudando tam disertè BOREA (tam subitò, tam ex-tempore!) recruduit soporatus dolor ex amisso virtutum LILIETO, cuius iacturæ vsque adeò illacrymatus est ante annum apud *Dominicanos* Mercurius tuus; vt planissimum feceris, nihil accidere potuisse Augustę Vrbi luctuosius. Petis etiam à me, quæ tua est humanitas, vt pangam aliquid Næniarum, quo extinctum prosequar in ipso flore ætatis, in vestibulo, quod ità dixerim, Triumphi litterarij. exaro, vt obsequar, *Elogiolum*. Quale sit, incertus planè sum. Qualecunque sit, excipe. Voluntatem, non rem spectes velim: si maiora dedisset ingenium, maius etiam detulissem argumentum meæ in te obseruantiæ, Collegam laudatissimum in munere Gymnastico. Erit cur tibi plurimum debeam, si per occasionem vlus fueris facultatibus ingenij mei, quod præstabit operam, quantam quantam poterit. Seruet te Deus incolumem Musis nostris, quibus eò plus accedet dignitatis, quò tibi plus vitæ. Vale & salue. Ex Ædibus.

GEORGIVS BOREA

Et Genere & Animo
Honestissimus,
Honestata
Nullo non Honestatis genere
FAMA,
Eheu! vixit, eheu!
Cecidit ante triumphum
Iamdiu triumphalis:
Ante lauream cecidit
Iampridem laureatus,
In laureantibus priuato cum decore Palæstris,
Vno emeritæ cum laude Virtutis suffragio,
Vno emensæ cum plausu multiplicis arenæ
Vadimonio,
Augustam Augusto destinatam Capitolio
Pompam
(Quod felicius, quod gloriosius)
Præreptam sensit ab Empyreo:
Vt domitis
Lubrico in æuo Cupidinibus,
Debellatis
In blando annorum palpo illecebris,
Vni litterariæ Veneri
Mancipato Adonide Ingenij,
Integer moribus, integer amoribus,
NOVÆ
Non peritura ferret congiaria
INTEGRITATIS,
Immaturus fato, maturus præmio,
Cœlo maturissimus.

Boreas.

Boreas BOREAM
Abripuit æstus atrocissimi,
Sed in portum sedis beatissimæ.
Subductus, proh dolor! lectissimæ Parenti,
Patruo (an Patri?) amantissimo,
Genti magna speranti,
Patriæ rara expectanti:
Sed Terras verè
GEORGIVS
Indignatus,
In sortem beatiorem,
Amica & nobili deposita
ANIMA
In amicum ac nobilem
AVGVSTÆ VRBIS
Sinum,
Quæ litteris olim aluit
Ad immortalitatem,
Vt immortalem duceret triumphum,
Cœlo donatus, apud Cœlites
Triumphabundus
VIVAT,
Et Suorum non immemor,
De non ferendo
In non ferenda iactura
Desiderio,
Affuso tristissimis animis
Diuinæ suauitatis nectare,
TRIVMPHET.

Octauius Lancellottus
Obsequentiss. & Patruo & Nepoti Lacry. P.

Ad

Ad
Illustris. & Reuerendiss.
D.
I. CÆSAREM BOREAM.

O Cui perpetuis aspirat odoribus Enna,
Vre sepulchrali florea dona rogo.
Delicia ante Nepos, nunc heu! seges aspra doloris;
Augustis subijt vltima fata iugis.
Vittam Vita fugit, iam cedro laurea cedit,
Degener ad feretrum ciuica turma dolet.
Hinc immaturi capias solatia casus,
Quam Iuuenis peperit, Gloria viuet anus.

Thomas Tartalia.

Ad
Felicem Verducciolum.

CVltor quàm fuerit BOREAS, dum viueret, aequi,
Par functus reddit nunc quoque, disce, pari.
Huius nam, FELIX, dum dici stemmata curas,
Hic toto famam spargit in orbe tuam.

D. S. A. Lancellottus.

Ex

Ex Lacrymis

F. V.

AT vos, luctisono pallent ubi sydera nimbo,
Ite meæ lacrymæ, quo maris unda fluit.
Quot premit heu flammis grauiũ fera turba dolorũ
Infœlicem animam, dilaceratque meum!
O cui pro cunis dedit indulgentia Cœli
Gemmeis, proque auido lacte pudoris opes,
Hùc ades heu! BOREA, mœstis lacrymãde Camœ-
Flebile neu precor ô, sperne ministerium. (nis,
Sat scio, quòd luctus, inamœnaque regna doloris,
Et sæua refugis tela cruenta necis:
Qui fortunatæ nouus incola ludis in Aula,
Et geris æternos qui sine labe dies,
Me tamen ingenuo plectro, & concordibus ausis
Nobile portentum commemorare iuuat.
NOX erat in terris, immersaque lumina somno
Somnia fingebant digna meis lacrymis;
En mihi mœsta subit miserandæ sortis imago,
Et mea sollicito corda timore quatit.
Conspicor è Sicula redeuntem parte sodalem
Qui mihi charus erat, conspicor heu BOREAM.
Venerat ad cunas, ut cingeret aurea lauro
Tempora; sed vetuit, quæ Iouis arma gerit.
Nam volat ad Superos magna comitante caterua
Heu! BOREAS, raptus Palladis imperio.
Sed mihi dum subito cadit impete lacryma ocellis,
Inflexis genibus talia vociferor.
O Dea quid miseræ quæso mea gaudia terræ
Per celeres iussus inuida ad astra rapis?
Ah si quid lacrymæ possunt, mea vota, precesque,
Nostris ex oculis tollere parce precor.

Redde meum Iuuenem, nostrum mihi redde Sodalē,
Amissum nuper redde mihi BOREAM.
Abnuit omnipotens Virgo, & sic ore locuta est.
Inceptos famuli deproperate gradus.
Tellus namq; sē suis licet irradiata triumphis,
Non satis est tantum condecorare virum.
Dixit, & aurigeris alis & remige penna
Ad superos rediȷt candida Diua lares.
Sic ille intereà viridi pia tempora lauro
Cinctus, pro donis mutua dona dabat:
Increpuere tubæ, raucisque per æthera bombis
Efflabant placidos cornua torta sonos:
Plectra mouent aliȷ, lituum, cytharamque lyramq;
Mille cient cantus, mille dedere modos.
O ego quot nuper risus, quot gaudia vidi,
Luctisonis vidi gaudia luminibus!
Siccine nunc patrias potuisti linquere sedes,
Mi BOREA, *& placidam ludere amicitiam?*
Quàm malè in horrentē Laurus mutata Cupressū
Cingit adumbratas mæsta nigrore comas!
Ah quantò meliùs Siculis consistere Regnis
Forte fuisset! at heù! quid miser ipse loquor?
Ridens quippe meis fruitur leuis aura querelis.
Heu quantùm! heu quantū Pallas iniqua fuit!
Has mihi tu lacrymas oculis tu Diua lacessis;
Parce, precor, si atro carmine multa loquor.
O Amor! ò BOREA! *quondam fiducia rerum*
Nostrarum, salue, qui mihi sydus eras.
Quid faciam? inuitus sequor, inuitusque relinquor.
Quid doleo? sic me vult Amor esse tuum.
Ergò Vrnam petis, & me quoque linquis in Vrna:
Sat noui, quàm sit flebilis Vrna DOLOR!

Valerius Arriguccius I. C.

INfelix Felix hoſpes vix, Hoſpitis hoſtem
Infidum fido colligit hoſpitio.
Talia poſt æuum ſeruas fera pignora Amoris
O Mors, delicijs inſidiata nimis?
Occupat officium Funus, querimonia plauſus:
Suntque dapes mæror, ſunt lacrymæque merum.

Hieronymus Alphanus I. C.

DVm Patriam liquis; Peruſinas tēdis ad oras;
Hic Ioue nata tibi munera larga dedit.
Poſt varios Orbis motus, Trinacria tellus
Te ſouet: huc tandem dirigis inde viam.
Sæuiſti in Iuuenem, Borea crudelis, amatum:
Vltimus hic motus, meta furoris erit.

D. Modeſtus Benuenutus.

TEmpore non longo ſpirat Fortuna ſecunda;
Aſpectum variat nam Dea ſapè Viris.
Hic iuuenis moritur, forma, Virtute, decorus:
Inſignis BOREÆ ſpes erat alta Domus.
Heu! rapitur mortis Borea ſpirante minaci:
Non vita Zephyrus flamina grata mouet.

Idem

GEORG.

GEORGIVS BOREA.

Anagramma.

AVGEBERIS ROGO.

SE renouat letho, moriens eademque renascens,
Quæ sola in Terris unica viuit Auis.
Fortunate! ROGO meritis AVGEBERIS aucto,
Mors & Vita rogus cui fuit, ignis Amor.

Antonius Maria Gallettus.

IN MORTE
Del Sig.
GIORGIO BOREA

CANZONE
Del Sig. Constanzo Ricci.

POSA la lira, onde al bon porgesti
Con numeri sonori
A le piaghe del cor soaui unguenti,
Musa, e inculta la chioma à rami mesti
Dian luogo i lieti Allori,
A funebre armonia dolci strumenti.
Raddoppia i tristi accenti,
Restar non dee dal nostro pianto solo
Inonorato, ò Musa, il commun duolo.

Caduto anzi stagione è BOREA estinto:
Morte importuna, ingorda
Rotto à l'Anima bella hà 'l uago laccio.
Inuaghita de pregi, ond' ei fu cinto,
Ch' udì quantunque sorda,
Quasi in segno d' Amor sel tolse in braccio.
Spettacolo di ghiaccio!
Segue BOREA suo stil, sù i labri nostri
Fà le voci gelar, non che gl' inchiostri.

C *Non*

Non è BOREA, non è, ch'ale sonanti
Fuor de l'Eolio speco
Tratta, e l'Aria minaccia, e'l Ciel passeggia;
Non ei scuote di Flora i verdi ammanti,
Nè con impeto cieco
Sconuolge di Nettun l'humida reggia.
Tra flutti ogn'alma ondeggia;
Adugge Aura letal gl'Aonij prati,
Pur di BOREA non più spirano i fiati.

Per aereo sentier rapidi vanni
Mosse; stupor non fia,
S'à fin del corso suo veloce giunse;
Di sì bel volo i gloriosi affanni
Morte turbò tra via;
E'n breue tratto il volator raggiunse.
Ambition la punse.
Ella, che di volar troppo s'honora,
Ambì mostrar, ch'auanza i venti ancora.

Hor ben si ti si dee d'alata il nome,
Cieca, pallida Dea.
Hor si nomar si può BOREA gelato.
Mà se pruina il sen', neui le chiome,
Padre di stagion rea,
Portò del gelid' Arto il freddo fiato;
Douea su'l crin dorato
Crescer l'argento, e dal fiorito Aprile
Toccar BOREA non men l'età senile.

Dormìa nel cupo, e più riposto seno
De l'ondosa Magione
Il cerulio signor, germano à Gioue.
Mordon l'atre procelle il duro freno;
Ferma pace compone
L'acque, ch' Euro nò sferza, aura non muoue.
In tanto à glorie nuoue
Il Frigio Heroe de le velanti Antenne
Per le lubriche vie battea le penne.

Mira sdegnosa del guerrier nemico
I fortunati lini,
Che già su'l Tebro à trionfar seruanno,
Desta l'inuidia rea l'incendio antico.
Flagelli viperini
Il diuin seno intumidir già fanno,
Và d'Eolia al Tiranno
Del gran Tonante l'orgogliosa moglie,
E del ferrato albergo entra le soglie.

Del suo fasto scordata à lui s'inchina,
Aita implora, è doni
Offre in nobil compensa, e prega, e tace.
Vsciti all'hor da la cauerna Alpina
Contumaci Aquiloni
Turban del Mar la non mai stabil pace.
Non più senz' onda ei giace.
S'erge da l'imo, e par, che tenti stolto
Terger da l'atre macchie à Cinthia il volto.

Io non bramo in Enea spianar le mura
Di Roma ancor non nata,
E già fondate, e trionfanti in Cielo.
Chieggio BOREA ben sì, mà in prigion dura
Chiude l'aura beata
Morte, ch'orecchio hà d'impetrito gelo.
In van sudo, & anhelo,
Spargo inutil' in van note, e sospiri,
Perche ella oda i miei voti, e BOREA spiri.

Musa, s'antica fama il ver non mente,
Che dà gl'antri profondi
BOREA fù sciolto di Giunone à i prieghi;
Se con plettro canoro, & eloquente
Sferzi i nerui facondi;
Sper' io, che Morte al tuo doler si pieghi:
Ne fia, che BOREA nieghi.
Ne già tu di Giunon men degna sei,
Ella è suora; e tu figlia al Rè de' Dei.

Mà mentre ad animar l'arguto legno
Muoui l'arco infelice,
E chiami lui, ch'acerbo fato inuola;
Ode i singulti tuoi con santo sdegno
Ei, che lieto, e felice
De l'Elisio giardin frà i rami vola.
In suo ben ti consola.
Resti in ciò, tua mercè, morte schernita,
C'habbia il nome di BOREA eterna vita.

ESTinto è BOREA, al cui sonoro fiato
Piegaro i lauri l'onorate fronde.
Ben hà, qual sia, che il cor non stilli in onde,
Più de l'onde de l'Arto il cor gelato.
Gode il mar di Virtù riposo ingrato,
Ch' ebbe dal Vento amico aure seconde,
Nè spirto v'è, ch' à gloriose sponde
Guidi de' chiari spirti il pino alato.
Questi potè d'inuidia, e di stupore
D'ogni ingegno più altier scuoter le foglie,
Por gelati legami ad ogni core.
Hor, ch'altroue spirando à noi si toglie,
Hà di rami funebri infausto onore,
In torrenti di pianto ogn' alma scioglie.

De l'istesso.

NOn dal freddo d'Eolia orrido seno
Spiegò BOREA gentil le candid' ali,
Ne' giardini d'Astrea trasse i natali,
Quindi spirò d'alta virtù ripieno.
Quà giunse, e'l nostro Ciel rendea sereno
Co' fiati à cui non hà Zefiro eguali,
Quando à contrari turbini fatali
Rotto il polo felice, ei venne meno.
Lasso! giunse e mancò. per l'aer mesto
Soffi s'vdiro allor d'Austri piouosi,
Cadde d'amare stille vn nembo infesto.
Hor co' sibili dolci ed amorosi
Spirto canoro immortalmente desto
Scoterà de l'Eliseo i lauri ombrosi.

Del Sig. Cesare Meniconi.

VAnne, che à queste valli oscure, & adre,
Anima saggia, à gran ragion ti togli,
Hor che dal basso Pindo altera sciogli
Su'l Parnaso del Ciel l'ali leggiadre.
Vanne, e di Muse in vece, infrà le squadre
De le Menti più pure homai t'accogli;
Che già quei breui lauri, onde t'inuogli,
Ti cangia in astri eterni il sommo Padre.
Vanne, che se con stil graue, e giocondo
D'udirti furo i rei mortali indegni,
Interpretar l'humane leggi al Mondo;
Tu di morte anco ad onta à i pigri ingegni
Chiaro co'l freddo tuo cener facondo,
Del Fato ogn' hor l'alto Statuto insegni.

Del Sig. Constanzo Martinelli.

COn nodo d'Himineo santo, e giocondo
Sperai teco congiunta, hore felici,
Ne più curai, volta à più degni offici,
D'incorrotto candor vento infecondo.
Parti già n'attendea sublimi il mondo,
Già se n'offrian Gloria, e Virtù nudrici;
Quand'ecco empio tenor d'Astri infelici
Le mie belle speranze abbatte al fondo;
Teco, BOREA, perir: mà se t'offendo,
Inuido del mio ben rapace artiglio,
Meco à nozze immortali in Ciel ti rendo.
Astrea quì tacque, e lacrimosa il ciglio,
Orna il Marmo di fiori, e'l bacia, e prende
Dal terreno confin l'ultimo essiglio.

Del Sig. Francesco Sciri.

Così

COsì riedi dà l' Austro? e così pure
Fai l'vsato seren sù le nostr' alme?
Dunque i lauri del crin, l'inclite palme
Tronca forfice auara, empia secure?
A nouella sì rea turbi le pure
Il Beotico rio liquide salme,
Batta 'l Sennio e l'Emilia ambe le palme,
Frema il Siculo mar d'onte sì dure.
BOREA, e tu lasci intrà martir più graui
Chi di vita, e d'Amor dà tuoi respiri
Già FELICE trahea l'aure soaui.
Deh, se placido in Ciel Zefiro spiri,
L'acqueta homai, nè più l'incenda, e laui
Fero turbo di pianto, e di sospiri.

Del Sig. Lodouico Alberti.

BOREA d'ombra mortal misero scempio
Soura pira funebre alto giacea;
E sù 'l freddo Cadauere il fato empio
Di facondo Orator l'aura gemea.
Quegli essangue à pietade ogn' vn mouea,
Di caduche speranze orrido essempio:
Questi con note, che dal cor trahea,
I marmi istessi inteneria del Tempio.
Temea la turba afflitta spettatrice,
Che disserrate al graue duol le porte,
Spirasse in vn sospir l'alma FELICE.
Ma lieta scorse in què sospir risorte
Le virtù de l'estinto, e qual Fenice
L'vno, e l'altro qual Sol dar fuga à Morte.

Del Sig. Cosmo Sensi.

Dal

DAl patrio nido di due lustri à pena
GIORGIO per brama di sua gloria vscìo,
E seguendo oltre mar l'orme del Zio,
D'ogni illustre virtù formò catena.
Fatto Cigno canor, dolce Sirena
Nel fior de la sua età; col ferro rio
Inuida Parca il dì lui seno aprìo,
E fè cadere il fasto in vile arena.
Nè dà morte atterrato al mondo more,
Che qual Libico Anteo quant'è più al fondo,
Tanto risorge sua virtù maggiore:
Quindi per sostener sì nobil pondo,
Coronato di gloria, à sommo onore,
Gli è tetto il Cielo, e pauimento il Mondo.

Del Sig. Francesco Maria Amici.

QVì giace il BOREA, il cui vitale à pena
Stame attorto accorciò Parca spietata:
Passaggiero gentil, l'vrna gelata
Beua dà gl'occhi tuoi tepida vena.
Non d'otio molle, ò di beltà serena
Marcì mai, languì mai l'Alma ben nata;
Mà dagli auiti piè pressa, e segnata
Orme stampò sù la Palladia arena.
Quiui per entro ai più riposti arcani
Penetrò di Natura, e aprigli Astrea
De le dubbie sue carte i sensi strani.
Mà quando il di lui fronte ornar volea,
Sfrondaro i lauri; e le falcate mani
Predaro il crin, che trionfar douea.

Del Sig. Francesco Maria Calidonij.

Mentre

MEntre che, BOREA, i meritati onori
Dà l' Augusto Senato aspetti, e speri,
Febre crudel con morsi acuti, e fieri
Del tuo volto distrugge i più bei fiori.
Morte poscia trà suoi crudi furori
Inuidiosa de' tuoi merti alteri,
Troncando il filo à i nobili pensieri,
Cieca t'asconde in tenebrosi orrori.
Tu morto! ah nò, che à se t'inuita il Cielo,
Per far di tue Virtudi illustri, e belle
Fregio più vago al suo gemmato velo:
O perche mostri à noi descritto in quelle
Carte Celesti il nome tuo per Zelo
Con eterni caratteri de Stelle.

Del Sig. Giulio Laurentij.

HOr, che d'inuida Parca il ferro ingiusto
Il tuo soffio vital, BOREA, ne toglie;
Del Sol vedrem sù nel' Etereé soglie
Pallido il volto, e'l Ciel di nubi onusto.
E se d'Vrna funebre il sasso angusto
Trà legami di Morte in sen t'accoglie;
Miste co'i pianti altrui le proprie doglie
Haurà torbide l'onde il Tebro Augusto.
Che se Zefiro lieue in grembo à Flora
Spira placidamente, e ne concede
La stagion più felice, e'l prato infiora;
Di celeste sauer, di gloria erede
Grati fior di virtù tuo fiato ancora,
BOREA, chi l'crederia? sempre nè diede.

Del Sig. Carlo della Luna.

NEl fior de' più begl' anni, e per l' amaro
Pelago di ſudor già 'n porto al fine
De le lettere human, de le diuine
Con chioma d' or, de' più canuti al paro:
Dà le Mitre onorato, à gl' Oſtri caro,
Certo d' hauerne vn dì fregiato il crine,
Inteſo ad opre eccelſe, e pellegrine,
Di virtù, di ſapere eſſempio raro:
Vinta l' ira del mar, vinti i più triſti
Caſi d' aſpro camino, e fermo il piede
Per far già già di più corone acquiſti:
Doue il lauro à te colto ancor ſi vede?
Moriſti, ò BOREA! ò BOREA, e pur moriſti!
O di noſtra fortuna inſtabil ſede!

Del Sig. Fiorenzo Falcinella.

ALtri di Borea à lo ſpirar gioiſce;
Poiche vezzoſo il Cielo,
Depoſto il bruno velo,
Serena il ciglio, e lacrimar finiſce:
Laſſo! e quando poſs' io
Dunque fine ſperare al pianto mio,
Se il mio ſeren ceſſò,
Quando BOREA ſpirò?

De l'isteſſo.

Q Vando à la fronte tua Lauri sceglea
Sù le riue d'Eurota amica Augusta,
Da le valli de l'Erebo l'ingiusta
Morte i Cipressi al funere trahea.
Così quando più Lachesi douea
Filar lo stame à la tua vita angusta,
L'auara destra d'empio ferro onusta
Troncò il filo vitale Atropo rea.
Mà se oppresse il tuo frale auara Morte,
Tu la vita immortal trouar sapesti.
Saggio signor, sù la stellata corte.
Poiche l'empia vittrice al fin vincesti,
Quando nouello Anteo con varia sorte,
A la Terra cadendo, al Ciel t'ergesti.

Del Sig. Troilo Mancini.

D Egli anni suoi nel più fiorito Aprile
Frutti d'alto saper già partoriua;
E maturo à gli honor GIORGIO vestiua
In giouinetto crin toga senile.
Tenero il piede in non vsato stile
Sù l'orme de la Gloria ei stabiliua;
E fù sempre à se stesso in quel ch'ardiua
Ne l'età variabile simile.
Quando chi 'l corso à i nostri dì frastorna,
Gli hebbe d'ombra mortal gli occhi coperti;
Mà trà luce immortal' ei pur soggiorna.
Che à fabricarsi infrà le Stelle i Serti,
Di cui lo stesso Cielo anco s'adorna,
Volò d'anni leggier, carco di merti.

Del Sig. Pietro Giacomo Barnabei.

Giouane

GIouane illuſtre, che da Venti i vanni
Qual Calai, e qual Zete agili, e preſti,
Per più toſto inuolarti à noi, prendeſti,
BOREA nel ſenno, e Zefiro negli anni;
Noſtre ſperanze, e tuoi gran merti inganni.
Ahi nò: ch'à noi, ſe Borea cadeſti,
Zefiro, al Ciel poggiando, aure celeſti
Spiri, e contempri i noſtri graui affanni.
Ben, qual germe d'Orithia, l'aure eſtreme
All'hora eſali in placidi ſoſpiri
Ch'ancor il Sirio Can in Ciel non freme.
Perche del verde April, in cui tu ſpiri
Con lauri, e mirti, e con le roſe inſieme
Eterna Primauera à te reſpiri.

Del P. M. Felice Ciatti.

VAni faſti mortali! in che fugace
Gloria è poſta del huom tutta la cura?
Per breue effetto di febrile arſura
Il picciol mondo incenerita giace.
BOREA ſu'l fior de l'età ſua viuace
A' più canori Cigni il vanto oſcura,
Spia gl'occulti ſentier de la Natura,
De' miſteri d'Aſtrea faſſi capace.
E mentre attende, ch'il valor conſegua
Condegno premio, in vn balen vien ſpento
Da la falce di lei, ch'il tutto adegua.
Ahi che non menti 'l nome: in vn momento
Sul' apparir ſuaniſce, e ſi dilegua
BOREA, ch'altro nó è, che vn' Aura, vn Vento.

Del Sig. Ottauiano Platoni.

Quei, che sù l'ali del sublime ingegno
Poggiò viuendo ogn hor co'l nome al Cielo,
Per di Morte inuolarsi al crudo telo,
Ond'è l'humana Vita unico segno,
Pur cade à terra homai, ma, il fero sdegno
Mentre disfoga nel corporeo velo
Morte nemica, accesa in santo Zelo
L'alma risorge à lo stellato Regno.
Ah qual sia, che da Morte, il BOREA spento,
Fuggir presuma ancor con folle auuiso,
S'ella veloce ancor precorre il Vento?
Ma fato è, che se già BOREA vn bel viso
Vantò rapire, à noua gloria intento
Hor rapito, e traslato è in Paradiso.

Del Sig. Bartolomeo Nati.

Morto è GIORGIO, ò Turrena, Ei, ch'à te solo
Desio d'honor, brama di gloria trasse:
Da le parti del Mondo humili e basse
Le stelle, oimè, l'han ricondutto al Polo.
Perche del fato a i fulmini trouasse
Schermo, se n' corse in vano a i lauri à volo,
Ch'il Cipresso al suo crine, ahi, dal tuo suolo,
V'gli Allori sperò, solo ritrasse.
Morte il rapì, che di Virtute adorno
Gia di Lei se'l vedea schernir lo strale,
Et eternar de le sue glorie il giorno.
Ma che romper gli gioua il fil vitale,
Se GIORGIO ancor, de la crudele à scorno,
Ne le memorie altrui viue immortale?

Del Sig. Girolamo Mancini.

SV l'Vrna tua, che de' più Illustri fiori
Fanno sparsa apparir gl' AVGVSTI ingegni,
Non sò, s' Amor non è, chi più m'insegni,
GIORGIO, à solo versar dogliosi humori.
Oh' s' in virtù di questi i secchi Allori,
Che si sfrondar del fato à colpi indegni,
Rinuerdisser già mai; famosi segni
Foran de le tue glorie i miei dolori.
Altri d'inchiostri amici; io sol di pianto
Tributo dia; sia pur non men gradita
Ogni lacrima mia de l'altrui Canto;
Che, fortunato allhor (Morte schernita)
Sù le Ceneri tue piangerò tanto,
Onde tornin gl' Allori à nuoua vita.

Del P. F. Egidio Pucciarini.

CRudelissima Parca, à che più ruoti
Il ferro indegno à ritentarmi il petto?
T'offra pure à miei danni (empio diletto!)
L'oblio, morte de' nomi, incensi e voti:
Che se ben fui bersaglio à i colpi noti,
Nulla valse à tuo prò barbaro affetto;
Saggio pittor per eternarmi eletto
Membri mi diè per la tua rabbia ignoti.
Non puote onda Letea, forfice fella
Sù la tempra immortal, cui fù concesso
Nuouo moto dal Ciel, muta fauella.
Hor voi Cigni di Pindo e di Permesso
Tessete al viuer mio tela più bella
Con le frondi d'Allor, non di Cipresso.

Del Sig. Tiberio Baldeschi.

PRemer lubriche vie d'instabil onde,
Sprezzar di Scilla il minaccioso volto,
E fragil pino in ampio mar disciolto,
Fidarsi al vento, e cercar altre sponde,
Sol per desio, che nobil petto ascende,
BOREA, bramasti, e'n queste piaggie accolto,
Con Lauri Augusti il biondo crine inuolto,
Cinger di lieta, e non funesta fronde.
Ma tu del Mare i procellosi orrori
Varcasti; or de' tuoi dì nel più sereno
Manchi, di vago Poggio in mezo à fiori.
Tal Borea pur scherza di Teti in seno,
E poi di Primauera infrà gli onori
Soura colli odorati anch' ei vien meno.

Del Sig. Bernardino della Penna.

VEsta i superbi Tempi in nero ammanto
Chi estinto il caro Amico e piange, e chiama;
E chi 'l nome di lui far chiaro brama
Sciolga pur sù Permesso il flebil canto.
Che altroue ad ammirar del Borea il vanto
Me da vil gloria alto pensier richiama:
COSMO, di Giorgio ad eternar la fama
Più de' gl'inchiostri altrui vale il Tuo pianto.
Morte lungi da Te l'amate piante
Volse di lui, per poter poi più ardita
Coprir d'atro pallore il bel sembiante.
Che se piangeui Tu prima che vnita
Al suo Dio fosse l'Alma, era bastante
A ritenerla vn Tuo sospiro in vita.

Del Sig. Oratio Vuetti.

TRoppo anzi l'hora del tuo giorno à sera
BORE A ne vai, te nel mattin cadente
Non senza alta cagion piange dolente
Di Generose GRV famosa schiera.
A l'alma intanto eterna luce e vera
Apre auanti al gran Nume altro oriente,
Mentre dal mondo vil fugge repente,
Che de' nobili rai degno non era.
Mesto il musico stuol su'l marmo aggira,
Di fior lo sparge, e più di lodi honora,
Vantando il tuo valor mentre il sospira.
Hor non temer se viui in ciel, che mora
Tua Virtù, vie più bella oggi s'ammira,
E s'à lei muore il Sol, nasce l'Aurora.

IO: MARIÆ BOREÆ
Suo
Felix Verducciolus S. D.

VIuo, mi *Borea* (quod nunquam sperasſem, non optaſsem quidem certè) ab illo funere infelicem ſpiritum adhuc trahens. Conſilium, prodeunti ſtatim, id fuerat; vt, egregio functus, in magnum & amatum Defunctum, munere Pietatis, quæritantium vndique gemitibus vna occurrerem opera; meque ſimul tædio leuarem repetendi toties elacrymatam ſemel hiſtoriam. Nam profectò, (quidnì fatear?) rebus meis tenebras deinceps, altumque ſilentium cogitabam, intimis votis ominatus mihi ſuprema. Deo tamen aliter viſum: nec ſatis ſubitarius ille exequiarum honor fuit. Mauſolæum *are perennius, regalique ſitu Pyramidum altius* promeruerat ea Virtus; fortaſſe etiam gratulari poſſumus excitatum. Decora Vrbis noſtræ ingenia, videbiſque libello incluſa magna nomina; pleraque, ſi non omnia. neque genius dolendi vnus, vt noſti: & aſymbolos quoſdam fecit dolor. Ego, quemadmodum vltimis inter dicendum ſuſpirijs libentiſſimè expiraſſem: ità, dum iſta lacrymarum ſolatia ex *Pijs Amicorum Affectibus* colligerem, tolerare lucem ingratam, volens exclamo, tanti fuiſſe! Sed collegi ſine delectu, nec ad certum ordinem collecta diſpoſui: ac vix illud eſt, vt Latina præcedant Hetruſcis.

 oblati

oblati Authorum archetypi, tanquam Sibyllæ folia, vt erant in falcem coniecti temerè: sic eos, nullo rerum personarumque discrimine, Typographus ipse digessit; me non auso postea rem factam infectam velle: vt saltem, quod initio volebam, capitales nominum litteræ Alphabeti seriem legenti facerent. Vtcumquè: traditus posteritati GEORGIVS mansuram sibi vitam liberali ab Apolline sentiat illatam, quam vel caducam auaro ab Æsculapio frustrà quæsiuerat. Meum *funebre Elegium*, vt erat, *extemporali doloris impetu effletum*, in publicum vnà cum alijs exire, haud ægrè sum passus; qui & dedecere cultum in luctu, & paratam festinationi veniam, noram: vt per me quoque habeat dulce nomen aliquam, si minùs perennem famam; simul, qui viderint, intelligant; quàm ego sanctè carissimorum memoriam libero amoris impulsu adnitar colere, qui efferre laudes refractaria ingenij pertuicacia non valeo. tantùm satis est, aut conatum excusari, aut non damnari adfectum. Interim, quo se maximè vno solatur *Illustrissimus Patruus*, in eius pariter beneuolentia leuamen animo sentire, & prope acquiescere videor posse. Eratis mihi nuper *gemini*, vnica nati fœtura, vno lacte parem ad gloriam feliciter enutriti. Nunc ille *Castor* ad immortalitatem excessit. Germanulus hic apud me Contubernalis, quanquam vota nè dum annos superat, nimis tamen longa spes est. Tu *Pollux* reparare Domus damna vnus potes, vnus debes. Vrge vrge incœpta, atque ista generosæ mentis indole,

dole,

dole, Deo volente, incomparabili Fratri suppar, extincti desiderium leni, GEORGIVM Patriæ amicisque redde. Vale & Salue, ò illustre, sed heu! solitarium iam Sydus.

TAm subitò heu nostro BOREAS euanuit orbe!
Luge, ac mirari desine: VENTVS erat.

Hannibal Valerianus.

EXcipe pacato BOREAM Perusia vultu,
Quem Patrui testem legat amoris amor.
Excepit. Iuueni currus fuit ampla voluntas,
Vector honos, ciuis cor fuit ampla domus.
Sed miseras in amore vices! heu mixta dolore
Gaudia! Quem dederat, sustulit vna dies.

F. Laurentius Maria Canaulius.

OCcidit Augusta, qui Lugi natus. An illi
Mors augusta fuit, viuere luctus erat?

Idem.

HÆcnè manet pompa? ad Lauros quem viuida virtus
Prouocat, ad tristes mors vocat atra rogos?
Sic abit in lacrymas plausus, sedesque curulis
In feretrum? mœsta in funera Laurus abit?
Ducitur intacta sed pompa ad VIRGINIS ades.
Hac benè pōpa manet. Laurea VIRGO tua est,
Este procul Lauri. tua si sit Laurea VIRGO,
Quid tibi non Laurus sordeat? este procul.

Idem.

Illustriss. ac Reuerendiss. D.

I. CÆSARI BOREÆ

F. Fulgentius Meliorutius F.

MOnitorem officij habeo, sed luctuosum, sed infaustum; Illustrissime I. CÆSAR: extinctum videlicet GEORGIVM BOREAM animæ dimidium tuæ, MAGNI PRINCIPIS amorem, vtriusque delicium. Ferale scilicet illud fulmen, quod integerrimi Adolescentis oculos ferreo mortis somno soporauit, excitauit silentem, nec diutiùs passum est, esse mutam eloquentiam. Ex optatissimo illius conspectu è Sicilia Perusiam reduce quantum vno eodemque tempore gaudiorum hausimus, quantum amisimus! Adeò nè acerba semper fata Perusiam vrgent, vt delicias suas vel abductas desideret, vel reductas repentino raptas turbine lamentetur? Nimirùm à summis gaudijs ad summas lacrymas itum est. Tuus BOREA (heu verè Boreas!) vix ad nos aspirauit inter omnium plausus, cum inopinata conuersione inter planctus omnium expirauit. Laurea donandus Apollinari, cœlesti donatus est laureola: quod vnum erit & mei condimentum doloris, & tui. Quid enim aliud sperare liceat de optimo Adolescente, qui ipsum quodammodo deductorem habuit NERIVM PHILIPPVM & antesignanum? Et benè hoc mortalium officium sapientissimo Adolescenti

iam

iam pridem debitum, officiosa contentione præuertit cœlum. Virtus (res nempe diuina) diuinitate solùm compensari potest. Vides hìc diuinum ingenium, Sapientissime CÆSAR. Vnde recrudescit dolor, inde vulneri insanabili medicinam parat. Quòd expectato citiùs subductus sit è rebus GEORGIVS tuus, dolendum: quòd præmaturè reddatur cœlo, gratulandum. Si te mouet, quòd præsidio domesticæ gloriæ careas: qòd interitura nunquam gloria eum dignetur Deus, sit in iucundissima parte Solatij. Pungat animum amantissimi Patrui desiderium præstantis indolis; leniat tamen desiderium, quòd superstite fama viuat in terris, quòd amica Superis vigeat in cœlo. Quamquam quid hæc ego pluribus persequor? Peccatur in amicum, dum in officium peccatum nolo. Scilicet hanc tibi iure potes assumere superbiam, quòd in vtroque COESAR, nec secundis efferaris, nec deprimaris aduersis. Vale. Perusiæ.

Bernardino de Benedictis
Alumno recèns laureato

Basilius Corradinus S. D.

COnsolat ad lentam, minimèque tibi festinatam, *Bernardine*, Lauream properis præcipitatisque officijs amica Iuuentus. quæ prima debuit, venit vltima, & à lene fera Gratulatio : neque enim à fronte, aut à lingua, sed à serijs cordis penetralibus, seroque occidentis ætatis vespere venit. Nec leue mihi (quis credat?) cum leui ceruicosoque calamo certamen fuit ; quo aliòqui ad nutum facili, atque obsequioso vti solitus. Luxerat hic nuper inter pauca lacrymabilis Fortunę exempla memorandam, mentitæ Lauro suppositam BOREÆ LVGENSIS Cupressum; tantoque fulmine attonitus, obstinauerat annuum charissimo, clarissimoque capiti silentium : nimisque subitum à viduitate ad nuptias reditum causabatur. Atquì in GEORGIANA Comi-tragœdia adeò non fuit ad luctum cogendus, vt fuerit etiam inhibendus, pronior in tristia, & benè gnarus consuetæ calamus calamitatis. Cursitat hic scilicet in orbem per Orbem ludus : risum excipiunt lacrymæ : & nec dum arentibus genis, risus redit. Lætitiam mœror sequitur tam cito passu, vt iures ab illa natum. Latent inter hamata Fortunæ munera insidiæ; viscatisque beneficijs capimur: ac dum habere nos putamus, habemur. Vitrea vita Iuuenum est : cum maximè nitet, nutat

tat, & leuis auræ impulsu frangitur. & flos ille purpureus, manè inter vota manusque parentum natus, meridiano turbine recisus, lusa, delusaque spe, moritur. His lubricis rerum vicibus par illud insipientium Sapientum edocti, insano alter risu, insaniore alter fletu vana hominum studia prosequebatur. cordatior ille, qui ridenda flebat, flenda ridebat. Huc te, virili Iuuenem ingenio, atque omni laude, quæ cadere in istam ætatem potest, ornato, cordate *Bernardine,* ab istis gratulantium plausibus, voco, ad funebrem Cygnorum concentum, doctamque Academiæ Vrbisque complorationem. Da te mihi, da *Verducciolo,* æquè tui, tuæque famæ studiosis, da amatis GEORGII Manibus exorabilem: funde honorato sepulchro violas: affectumque iam sub prælo masculæ virtutis opus, suprema tua ope, manuque perfice: extremaque pagella primus *Amicorum,* condito carmine, quasi lumina AMICO conde, halitumque lege. Vale.

Eruditiss. Viro
Basilio Corradino
Magistro Suo
Bernardinus de Benedictis S. D.

LVxi GEORGIVM BOREAM, mea *Corradine* lux; cum, visa vix, ac ne visa quidem

quidem huius Vrbis luce, deluxit: cœcique luctus luculentiores testes non habeo, quàm in quibus Ocellum illum meum, præsentem, absentem, absens præsens tuli, meos oculos. Nam *Ille dolet verè, qui sine teste dolet.* In hoc autem *Felix* feliciter lugentis LYRÆ Theatrum prodire qua mente, quo animo, quo corde amens, exanimis, excors auderem? Ad notæ tamen vocis sonum non supplicij metu, sed officij motu, contremui; atque hoc quidquid est Carminis, dolore confectus, confeci: non tam adeò dignum mortuo AMICO Honorarium, quàm in viuum æternùmque victurum Magistrum debitum obsequij Testimonium. Vale.

Quæ lætis GEORGII Manibus
tristè canit LYRA, Delirat.

MAnibus heu BOREÆ Lacrymarum munera frustra
Mittis, & insanis imbribus ora rigas.
Sic Hyemi, & pluuijs, Eurisque, Notisque parenta:
Nubifugum BOREAM dona serena decent.
Ah procul à BOREA luctus, procul ita procella:
Deliras, BOREÆ qua LYRA tristè canis.
Ille ornat; & Laurum Virtus meritura triumphis,
Quam mors præripuit, repperit in Superis.